



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Articulus VI. De Mutilatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

ARTICULUS VII.

De dispensatione in irregularitate ex homicidio.

892 **Q**uestio est primò, quis iure ordinario dispensare possit in irregularitate, contracta ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, & injusta? R. posse solum summum Pontificem. Nam inferior in lege superioris iure ordinario dispensare non potest, extra certos casus, ut constat ex dictis l. 1. decret. Constitution. tit. 2. sed irregularitas ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, & injusta, inducta est lege summi Pontificis; & hæc irregularitas non est intra certos illos casus; ergo in eo iure ordinario dispensare non potest inferior. Min. probatur ex Tridentino sess. 24. de reform. c. 6. ibi: *liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus, dispensare*, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario; ergo si injustum homicidium sit voluntarium, licet occultum, non licet Episcopo dispensare in irregularitate ex tali homicidio voluntario, etiam occulto; ergo hæc irregularitas non est intra certos illos casus.

893 Ex hoc colliges, Episcopo competere facultatem dispensandi in irregularitate proveniente ex voluntaria mutilatione etiam injusta, sed occulta. Nam vi Trid. cit. Episcop^o dispensare potest in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, nisi sit ex casibus ibi exceptis; sed irregularitas ex voluntaria mutilatione, etiam injusta, est ex delicto, & hoc delictum non est ibi exceptum, exceptio enim expressè loquitur solum de homicidio voluntario; ergo si hoc occultum sit, dispensare poterit in ea irregularitate; ita Layman l. 3. summa l. 5. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 2. Sanchez l. 1. summa c. 10. n. 49.

894 Colliges 2. idem dicendum de irregularitate contracta ex homicidio casuali, sed occulto, quantumvis injusto. Nam potestas Episcopis concessa ad dispensandum in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, in nullo restringitur, nisi proveniat ex homicidio voluntario; sed homicidium casuale non est voluntarium, prout voluntarium hic accipitur ut diximus supr. ergo quoad irregularitatem ex homicidio casuali, potestas Episcopis concessa non restringitur. Coll. 3. in irregularitatibus, quæ proveniunt ex mutilatione, vel homi-

889 **Q**uestio est 3. quid de pugnantibus in bello iusto offensivo? R. omnes, qui in tali bello aliquem propriis manibus, seu facto occidunt, aut mutilant, irregulares fieri ex defectu lenitatis; secus est, si ipsi per se non occidunt, vel mutilent, licet alii hoc faciant: prima pars habetur ex c. 1. & 4. dist. 51. junct. gloss. V. *Mutilaverit*. Secunda ex c. *presentium* de Clerico percussore & c. *penult.* h. t. de quibus egimus à n. 862.

ARTICULUS VI.

De Mutilatione.

890 **M**utilatio propriè dicta, est alicujus membri amputatio, vel abscissio; colligitur ex c. *Clericis* 5. Ne Clerici, vel Monachi, &c. in *Archiepiscopatu* 4. de Raptoribus; illam autem partem humani corporis dicunt communiter auctores venire nomine *membri* hoc loco, quæ particularem, seu distinctam ab aliis partibus functionem habet, ut oculus ad videndum, auris ad audiendum, &c. Et colligitur ex l. 10. ff. de adilitio edicto, ubi *digitus* dicitur *pars membri*. Difficultas est, an ad irregularitatem ex mutilatione sufficiat, abscindi notabilem partem membri v. g. cartilaginem nasi, vel aurium, digitum in manu, mamillam foeminae, &c. Affirmativam sequitur Suarez cit. d. 44. l. 2. n. 7. Layman l. 3. tr. 3. c. 11. n. 2. cum in c. 1. de Clericis pugnantibus in duello, dicatur sufficere diminutionem membri, ibi, vel *membrorum diminutio*. Quamvis contrarium probabile, & tutum in praxi, censeat Pirhing. h. t. n. 119. §. *Ex quo* 1. cum versemur in materia poenali, & odiosa. Quòd autem etiam ex sola mutilatione incurratur irregularitas, constat ex dictis.

891 **N**ot. autem 1. irregularitatem impositam mutilationi alterius, etiam intelligi, cum quis mutilat se ipsum c. *qui partem* dist. 25. & in hoc casu sufficere mutilationem, quæ in alio facta non sufficeret ad irregularitatem, propter majorem in eo casu atrocitatem in proprio corpore exercitam, vult Pirhing. h. t. n. 124. sed in poenalibus etiam majoritas rationis, non necessariò concludit ex dict. à n. 137. Not. 2. mutilationem, seu abscissionem membri omnino aridi, seu mortui non esse illud, cui imponitur irregularitas prædicta, quia *non esse, vel esse, sed mutiliter*, paria sunt.